

fere in totum, uiris autem matutino, exeuntes cauer-  
nis prius quam aliquo fortuito ictu iejunum egerant  
uenenum. Semper cauda in ictu est nulloque momento 87  
meditari cessat, ne quando desit occasio; ferit et  
obliquo ictu et inflexo. Venenum ab iis candidum  
fundi Apollodorus auctor est, in nouem genera  
discriptis per colores maxime superuacuos, quoniam  
non est scire quos minime exitiales praedixerit. Gemi-  
nos quibusdam aculeos esse, maresque saeuissimos —  
nam coitum iis tribuit, — intellegi autem gracilitate  
et longitudine; uenenum omnibus medio die, cum 88  
incanduere solis ardoribus, itemque, cum sitiunt,  
inexplebiles potus. Constat et septena caudae inter-  
nodia saeuiora esse; pluribus enim sena sunt. Hoc  
malum Africae uolucre etiam austri faciunt panden-  
tibus brachia ut remigia subleuantes; Apollodorus  
idem plane quibusdam inesse pinnas tradit. Saepe 89  
Psylli, qui reliquarum uenena terrarum inuehentes  
quaestus sui causa peregrinis malis impleuere Italiam,  
hos quoque importare conati sunt, sed uiuere intra  
Siculi caeli regionem non potucre. Visuntur tamen  
aliquando in Italia, sed innocui, multisque aliis in  
locis, ut circa Pharum in Aegypto. In Scythia intere- 90  
munt etiam sues, alioqui uiuaciores contra uenena  
talia, nigras quidem celerius, si in aquam se inmerse-  
rint. Homini icto putatur esse remedio ipsorum cinis